

tamen premitur adhuc difficultatibus. Obstare enim videtur 1) quod Seruius Tullius non in quinque, sed sex classes populum Romanum diuiserit, vid. DIONYSIVS HALICAR. L. IV. in vita Tullii p. 221. 2) quod non in omnibus comitiis, sed tantum in centuriatis, populus Romanus comparuerit, suffragiaque dederit per classes, vid. VINNIUS ad Instit. Tit. de testam. ord. §. 1. MERVLA de comitiis Rom. Cap. I. et IV. SIGONIVS de antiquit. iur. ciuil. Rom. L. XVII. Iam vero adhuc sub iudice lis est, vtrum in his, an potius in curiatis comitiis, in quibus non per classes, sed per curias comparebant Romani, et suffragia dabant, vid. VINNIUS, MERVLA, SIGONIVS, loc. cit. facta olim fuerint testamenta? 3) quod testes hi solennes in aliis etiam actibus adhiberentur, qui olim non vt testamenta, fiebant in comitiis, v. c. mancipationibus omnibus, vid. CAII Instit. L. I. Tit. VI. §. 3. 4) quod iam olim sub Romulo, et antequam populus in classes diuideretur, numerus quinquenarius testium, cum ageretur de partu monstroso exponendo, aliisque negotiis, esset vsitatus, vt docet DIONYSIVS HALICAR. L. II. C. XV. Sed nec desunt, quae hisce dubiis reponi possunt. Sic e. g. ad primam responderi posset obiectionem, quod sexta classis, in qua erant Proletarii, qui nullo habebantur numero, suffragioque carebant, non connumeraretur, adeoque classici dicerentur non omnes, qui indistincte in aliqua classe erant, sed ii κατ' ἐξοχὴν, qui erant in quinque primis, id quod probabile est (α) ex loco ARNOBII aduers. gentes L. II. verbis: *Definite hominem, proletarius cum sit, classibus et capite cum censeatur, adscribere ordinibus primis*, conf. ad hunc locum STEWECHEII *electa*, ELMENHORSTII *observationes*, HERALDI *animadversiones*. (β) quod LIVIVS quoque Lib. III. cap. 13. quinque tantum